

## PER OCTAVAM VISITATIONIS B. M. V.

Ad Memoriam Antiphona **Sancta María, vírginum piíssima.**, ut per Octavam Nativitatis B. Mariæ; **V. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.**; Oratio Omnípotens et miséricors Deus, majestátem., ut supra.

DIE III. JULII.

B. MARCI MUTINENSIS CONF. ORD. PRÆD.

DUPLIX.

Oratio.

**D**EUS, qui per beátum Marcum, Confessórem tuum, permúltos errántes in viam justitiæ redíre fecísti : concede ut ejus intercessióne nos quoque a vítiis absolúti & ad æténa gáudia pervenire feliciter valeámus : Per.

DIE V. JULII.

S. ANTONII MARIÆ ZACCÀRIA CONFESSORIS.

DUPLIX.

Oratio.

**F**AC nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam spírítu Pauli apóstoli ediscere : qua beátus Antónius María mirabíliter eruditus & novas in Ecclésia tua clericórum et vírginum famílias congregávit : Per eúndem.

DIE VI. JULII.

IN OCTAVA SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

Capitulum.

Ephes. 2.

**J**AM non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei & superædificáti super fundamentum Apostolórum et Prophetárum : ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus. Aurea luce., pag. 584.

**V.** In omnem terram exívit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.